









# Contenta.

1. Georg. Goetzii et Georg. Henr. Cæli Cata-  
lysmus Thuringiacus, vulgo die fün-  
zigigste Dinstag ejusq; historia,  
dissertatio recus. Jen. 1677.

2. Eadem recusa auctius ibidem. 1690.

3. Lennig. Disillung A. Frödigten von  
Dinnittinn oder fünfzigste Watten-  
glucke und was Gott wannsicht, solch  
ysraelische und unisraelische Gr-  
leit und was aus Noth die  
Lennig Lennig zu lassen.

4. M. Ludov. Rechtenbachii Ventes susur-  
rans d. i. zwei israelische Wunderrichter  
waben vubstulig. Lennig von den  
gründlichen Wunderrichter.

5. Gründliche und vubstulig. Lennig  
Lennig die vubstulig. Wunderrichter  
und was aus Wunderrichter so  
1675 die Stadt Wunderrichter und  
vubstulig vubstulig Lennig die



6. D. Sebald. Linguas Suro Mithropuaditric  
bun' Gelnuguhit sub usuedlicia Augu-  
wittus und der Geringe. Dünstlich, welche  
zu Wimmer und vudana Daba in Guna  
yon am 29. May 1613. quosam Disuden  
gelsan, sunt augahustater wasahastan  
Relation ein ubel dinst quau, Danc  
Eugruithen und Woydenstlich zu unter-  
schieden Daba saubgehulten. Jun 1613.

7. Eadem recusa. Sept. 1613.

8. Christliche Relation dinst usuedlicia  
Eugruithen und Woydenstlich.

9. D. Joh. Major. Dinst und fimmung  
Kunigt von dem gausamen Gawithen  
Kunigt die Geringer fimmungst worden  
mit Particularitaten und sonst in  
stund vumersot. Sept. 1613.

10. Eadem f. l. et do.

11. Eadem 1614.



12. Bernh. Schillingii sermo de  
gratitudine dei gratia et de  
gratia glorie mundanae gratia  
dei gratiaque Wasbylluth in  
Sünnigen.

13. M. Andr. Pulcii Deluvium Thuringi-  
acum s. diff. de inundationibus in  
Thuringia ao. 1613.

14. M. Adam Köchleri oratio de causis  
cataclysmi Thuringiaci 1613. facti  
an ille fuerit tantum naturalis  
an a Deo imissus an vero a malis  
hominibus ortus?







Q. D. B. V.

CATACLYSMUS  
THVRINGIACVS,

vulgò

die Thüringische Sünd-  
Auch /

C H I S H I S T O R I A M

*Amplissimæ Facultatis Philosophicæ beneuolò indultu,*

SUB PRÆSIDIO

D N. GEORGII GOEZII,

WICHMARIA-THURINGI, PHIL. PRACT. IN  
HAC ALMA SALANA PROF. PUBLICI LON-  
GE CELEBERRIMI,

PATRONI ATQVE PRÆCEPTORIS SUI PER-  
PETUUM DEVENERANDI,

IN AUDITORIO PHILOSOPHORUM

add. XV. M. Januar. 1670.

*Publico Eruditorum examini obtulit*

AUTOR

GEORGIUS HEINRICUS CELIUS,

Crimmic. Misnic. Alumnus Ducalis Saxo-Vinar.

J E N Æ,

Recusa auctus M. DC. LXXVII.

TYPIB. JOH. GOLLNERI.









. B. C. D.

## PRAEFAMEN.



Inguis omninò seculis jam inde à Conditu Mundi singulare & notatu dignum quid evenisse, satis liquet: aliud quippe horribiles eclipses, torvos aspectu cometas, rara & inusitata meteora vidit; aliud monstrosis partibus notabilibusque casibus admodum referentum fuit; iterum aliud cruentum bellum est expertum, quod sequens ætas aurea & opinione citius concessa pace denuò sæpe excepit. Alio seculo pestilentia diris modis est grassata, alio sterilitas ac fames improba: hoc uberrimus annonæ proventus, isto, hujus maximus obtigit defectus; hoc vehementia sævientiaque passum fuit incendia, illud terræ motus quævis proxima destruentes; aliud ingentes persecutiones habuit, aliud quid aliud: aliud artem quandam utilissimam; aliud contrà fraudes & scelera perniciosissima invenit. Hoc everfione alicujus reipub. inclaruit, illud alia mutatione quadam: aliud aquarum exsiccatione laboravit, adeoq; fontibus irriguis non raro caruit, aliud contrà aquarum inundatione minus gratà pressum atque oneratum fuit. Verbo: *nullum utique extat seculum,* si gravissimorum scriptorum annales quis evolvit, quod



non peculiarem in se contineat considerationem, quod non peculiari & decantata aliquà notà quasi obsignatum fuerit. Inter omnes tamen decursus seculorum, hoc paulatim ad finem vergens præsens nostrum, in quo per Dei gratiam adhuc degimus, eminere videtur, utpote in quo prædicta modò atque recensita quævis concurrere quasi deprehendimus, adeo ut etiam magni nominis multæque eruditionis Viri exinde supremum diem finemque mundi nobis imminentem & mox adfuturum colligant, quod suo loco relinquo. In præsentis missis aliis, non omninò abs re me facturum esse puto, si Exercitii Academici loco, thema de cataclysmo Thuringiaco, qui in annum currentis à nativitate Christi sæculi decimi septimi, decimum tertium incidit, tractandum in me suscipiam, & quid hoc in negotio valeant humeri, quid ferre recusent, breviter experiar. Propositum verò discursum ita dispertire placet, ut constituam tria capita, inque primo præcognita enumerem. In secundo ipsum cataclysmum, seu historiam cataclysmi Thuringiaci secundum suas circumstantias, damnumque huic regioni per hunc illatum, quantum datur, referam. In tertio recenseam officium Viri Politici circa istiusmodi prodigia. Si impolitè & incultè quid dixerò, facile mihi datum iri veniam sperabo, tum ob materiæ raritatem, cum quod præfiscine dictum sit, nemo forsan, quod quidem ego sciam, hanc viam ante me calcaverit; tum difficultatem, quæ in re ardua me non parum excusare videtur. Tu verò summum & supremum Numen, vive fons salutis, clementer me governa, & coeptis his annue.





## CAPUT I.

### SUMMARIA.

**E**tymologia & notatio quorundam nominum in hac disputatione  
occurrentium exhibetur, §. 1.

De existentia cataclysmi Thuringiaci quedam afferuntur, §. 2.

De existentia aliorum cataclysmorum in particulari, §. 3.

De Græciæ diluviis quibusdam, §. 4.

De diluviis in Romano Imperio variis hinc inde ortis, §. 5.

Digressio ad causas tempestatum, §. 6.

Divisio tempestatum & aliqualis descriptio, §. 7.

De causa efficiente, §. 8. & 9.

De fato quedam immiscentur, §. 10.

De causa materiali, §. 11. & 12.

De causa formali, §. 13.

De causa finali, §. 14.



§. I. De rem præsentem non omninò  
nihil facere posse mihi videtur, si  
rubricæ nomina penitus paulò  
prius examinem, cum insuper so-  
lenne sit disputantibus, notatio-  
nem nominis primo evolvisse, ut  
eò melius viam ad subjectæ mate-  
riæ penitralia sibi præparent, to-  
tumque suum discursum eò feli-  
cius postea formare valeant!

Quod proinde vocem cataclysmi attinet, natales suos Græ-  
cis debet, descendit quippe à κατακλύζω, abluo, item de-  
mergo; apud Latinos aliàs vocatur diluvium, à diluendo,





& hoc à luo, forte, quod luant quasi peccata homines diluuium passis dicitur & diluuius, Germ. Verschlemmung/ Ergießung der Wasser / groß Gewässer / communiter Sündfluth. Thuringiacus autem est à nomine substantivo proprio Thuringia, quod & Duringia scribunt, quæ est Landgraviatus omnium nobilissimus, cuius longitudo latitudini ferme par est, nempe duodecim utrinque milliaria, & continet iuxta Neandri Geographiam in se 144. urbes, 144. vicos *Marckflecken* / & 150. arces. Sita est ab ortu & occasu inter duo flumina Salam & Werram. Habuit quondam suos peculiare Reges, postmodum Hassiæ conjuncta fuit, usque dum ad Marchiones Misniæ & Saxonæ Duces devoluta est, de quibus & aliis, ut & vetustis ejus habitatoribus vide plura ap. Zeil. itin. German. c. 1. & 17. Chronica Thuringiaca Bechereri & Binharti, Cluverium, nec non Wolff. Heider. Vol. 1. Orat. 6. & Vol. 2. orat. 26. & 28. ut adeò Cataclysmus Thuringiacus hujus regionis incolarum idiotismo exactè respondeat, quando dicunt die *Thüringische Sündfluth* / ut proinde quid disputationis nostræ titulus præ se ferat, amplius non possit esse obscurum. Mentio porro fiet in hac nostra dissertatione aquæ, item cataractarum, igitur & horum vocabulorum etymon tribus saltem verbis indicare lubet. Nimirum aqua non dicitur, ut Grammatici quidam putant, quasi *sine qua* esse non possumus, vel à *qua* sumus & vivamus; sed fuit vetus verbum Græcum ἀχα, ubi χ transit in q. vid. Beem. Orig. Lat. Lingv. sub hac voce aqua. *Cataracta dicta à καταρρακτην*. h. e. à defluendo: sunt enim inundationes repente irruentes, plötzliche und schnelle Ergießungen von oben herab / de quibus vulgò dicunt: *Es ist eine Wolkenbrust* (sed perperam, rectius quippe dicitur *Wolkenbruch*) herab gestossen. Gen. 7. apertæ sunt cataractæ coeli; ubi Lutherus vertit: die Fenster des Himmels thäten sich auff. Similis modus loquendi, Fenster am Himmel / legitur & 2. Reg. 7, Malach. 3. v. 10. & Jesa. 24, 18.

Et



Et hæc de notatione nominum. Jam dicendum esset de dicti Cataclysmi existentia, quæ in materia historica aliunde haberi equidem non potest, quam ex literarum monumentis. Ast ubi ea sunt? sane nulla invenio; & licet ego curtem admodum supellectilem possideam librorum, attamen & instructissimæ Bibliothecæ in hac Academia, quod intrepide affirmo, hac in materia subsidio mihi esse non potuerunt. Et quamvis ex scriptoribus unus & alter interdum ad similes alios cataclysmos delabitur, hunc tamen præcipui, quod miror, reticent; id quod eo cupidior me reddidit, ut in evolvenda hac historia lubentius desudarem. Collegi proinde ea quæ ex provincialibus relationibus fide oppido dignis, nec non ex Reverendo Vinariensi Ministerio accepi, & incudi disputatoriæ subjeci, id quod plenius ex infra dicendis, cap. nimirum 2. per totum patefcet, quam historiam cataclysmi ministrat vir itidem infra nominatus. Si igitur uspiam hallucinatus fuero, veniam ob difficultatem hujus materiæ ultro mihi polliceor, elegi siquidem hanc, etsi difficilima sit, atque à nemine antehac elaborata, non laureolam in mustaceo quærendi, aut alius alicujus vanæ gloriolæ captandæ causa, nequaquam, sed solius historiæ notatu dignissimæ studio ductus, quam electam semel deponere nolui, licet vel nullum invenirem, qui facem mihi subministraret. Existentia tamen hujus cataclysmi in dubium minimè vocabitur, si quæ cap. 2. dicentur, attendantur.

§. 3.

Aliàs extitisse sæpius particulares cataclysmos alios, est certo certius. De universali isto Orbis diluvio non dicam, cum nemini ignotum sit, forsitan nec iis, qui nondum ære lavantur, & vel limina sacrarum Pandætarum salutant. Istam etiam litem in præsentis discursu meam non facio, quamdiu nempe duraverit diluvium illud, quo mense & quo die cæperit, cum Autores nusquam inter se con-

ven-



(8.)  
venire videam: aliis principium, diem 17. Aprilis anni M. 1656. & finem post semestre anni spatium statuentibus; aliis autem diem 28. Nov. dicti anni pro principio, & pro fine, diem 6. Januarii sequentis 1657. anni habentibus.

§. 4.

Theſſaliæ diluvium, quod annis aliquot non ita multis ante exitum Iſraelis ex Ægypto, anno ſcil. M. 2440. fuiſſe traditur, quis ignorat? de hoc ſiquidem Juſtinus lib. 2. hiftoriar. c. 6. dicit, quod Amphictyonis, (qui primus Minervæ urbem ſacravit, & nomen civitati Athenas dedit) temporibus, aquarum illuvies majorem partem Græciæ populorum abſumſerit. Superfuerunt, pergit, quos refugia montium receperunt, aut ad regem Theſſaliæ, Deucalionem, ratibus evecti ſunt. Sic Varro in prologo lib. 3. de R. R. refert, quod Ogygis Thebanorum regis tempore primum omnium diluvium fuerit. Sed D. Auguſtin. de C. D. lib. 18. dicit: Tempore quo regnabat Ogyges, diluvium magnum factum eſt: non illud maximum, quo nulli homines evaſerunt, niſi qui in arca fuerunt, ſed tamen majus, quam quod poſteâ tempore Deucalionis fuit. Quod & nos veriſimilius putamus.

§. 5.

Et non Græcia ſolum cataclyſmſis ſæpius vexata fuit, ut ex Platone & Herodoto plura exempla facili negotio afferre poſſem, niſi chartæ temporique parcerem; ſed etiam Romanorum ditio; ſic temporibus Antonini Pii, Juliani, Valentis, Juſtini, Ludovici Pii, Heinrichi IV. & Heinrichi VI. maximæ fuere inundationes.

Anno Chr. 560. Tybris (qui fluvius Italiæ principio exiguus, duobus poſtea & 50. augetur annibus) Romam prorfus ferme (verbum eſt Lucretii) diluviavit.

Colonia Agrippinæ, an. 857. graviffimum cataclyſmum paſſa eſt.

In vico aliquo Saxoniz Aſchebrunn/ 876. tanta fuit aqua-



(9.) (50)

quarum moles, ut facile nullum loci habitabilis vestigium relinqueretur.

Quod etiam fuit in ducatu Mediolanensi, an. 1118.

An. 1187. in inferiori Saxonia gravis fuit irruptio aquarum, de qua illorum (Saxonum) Chron. In düssem Jare verdränckede dat Water veele Lüde und Queeck / und een groot Gades Tecken schach darto mal / dat leventige Kinder sloten in der Wegen / in Molden / in Bädhen / de Manne seeten up den Hußbalcken / und fāmen tho Lande in frembde Tegend / &c. Vid. Alb. Cranz. in Metrop. lib. 7. cap. 14.

Idem quoque evenit in Polonia, an. 1219. & an. 1440.

An. 1448. d. 12. Sept. Augusta Vindelicorum magnum cataclysmum habuit.

Ut & eodem anno, nempe 1530. quo Lutheranorum confessio fidei, à Johanne Electore Saxon. in magnis Imperii Comitibus, in prædicta urbe Augusta Vindel. constantissimè exhibita fuit, Basileæ ingens fuit cataclysmus.

An. C. 1551. inter Isennacum & Gotham, item Cruciburgi fuit cataclysmus sat horribilis.

Et an. 1552. Budissini in Lusatia.

Quod & eod. anno nostræ Jenæ accidit.

Sic in omni fermè Germania, præsertim in Silesia, Bohemia, Misnia, & Thuringia, an. 1556. cataclysmus extitit.

Nec immunis fuit vicus Burgthonna, non procul à Salza: eopse siquidem anno 1558. quo alma nostra Academia fundari cœpit, magnum vidit cataclysmum.

Item dicto anno tale quid Vinariæ & Erfurti contigisse legitur.

Rhodæ (oppidulo non procul abhinc dissito) priori & hoc seculo graves fuisse aquarum inundationes, audivi ex viris fide dignis.

Quas quoque passæ sunt urbes splendidæ & admodum præclaræ, ut Numburgum, Gera, Hala, Dresda, Mi-  
B  
sena,



(10.) (50)  
fena, Witteberga, Magdeburgum, Brunsvviga, & quam-  
plurima alia loca, & pagi etiam in Thuringia, ut Meck-  
feld / Kletwisch / & circumjacentes alii nonnulli.

Scirtus per urbem Edessa (Rages olim dicta) in Osroë-  
na fluens aliquando adeò se effudit, ut tota fermè urbs peri-  
erit: subsidentibus postmodum aquis, tabulam aliquam ob-  
literatam invenere, in qua hæc verba visum fermè fugien-  
tia, legibilia tamen adhuc quadantenus, cerni potuerunt:  
Scirtus fluvius malè saltabit ( à saltando enim nonnulli de-  
rivarunt ) civibus, Das Wasser Scirtus wird einmahl den  
Bürgern einen bösen Sprung thun / ut refert Irenæus in spe-  
culo aquarum; ex quo plura, si placet, legi & depromi  
possunt cataclysmorum in hac aut illa provincia subinde  
exortorum exempla.

§. 6.

Nos, postquam particularia nonnulla exhibuimus dilu-  
via, non omnia, quod nec nostri est propositi, nec videtur  
necessarium, ad alia, & quidem ad causas transimus, his  
perlustratis, ad ipsum Thuringiacum diluvium, miseran-  
dum deplorandumque istud spectaculum, progressum fa-  
cturi.

§. 7

Descriptiones tempestatum, divisionesque in sacris  
Bibliis & profanis Historicis evolvere atque inquirere ali-  
as si vellemus, triplicia earum genera extant. Unum  
vocari potest *Historicum*: ubi tempus & locus, nec non mo-  
dus describitur, qualis fuerit, & quæ quantaque damna a-  
quæ dederint. Alterum dici potest *Physicum*: hoc causæ  
cataclysinorum eruuntur, dijudicanturque ex principiis na-  
turalibus. Tertium genus esse potest *Theologicum*: quo  
causæ eorundem morales exponuntur, & quomodo ad fi-  
nem Ecclesiæ se habeat cataclysmus, docetur. Nos ulti-  
mum hoc genus ad cathedram remittimus sublimiorem.  
Historicè autem thema nostrum prosequemur, & de cau-  
sis, sed obiter quasi, dicemus.

Cata-



Cataclysmorum (intelligimus h. l. sub his quascun- que tempestates) causas jam quod attinet, dicimus, effici- entem primam esse ipsum Deum verum, vivum, qui se in verbo revelavit. Gentiles equidem *Duis suis* hasce tempe- states attribuerunt, credideruntque, eas efficere rerum o- mnium præpotentem (dixissem penè impotentem) Jovem. Non dicam de illis, qui *diabolo* ut causæ principali eas ad- scripserunt, quem Summanum, quali Iummum manium, vocaverunt: quæ impia sententia toleranda haut est: permit- tit quidem Deus, ut Cacodæmon, ejusque organa fidelia, sagæ atque incantatrices, aliquid tentent, unde Germani dicunt *eine alte Wettermacherin*; sed tamen hanc permissio- nem ad certos limites restringit: nisi enim hoc esset, quid salvum quæso foret, si diabolo in terricolas grassari pro ar- bitrio liceret?

§. 9.

Neque istud locum habere potest, quo gentes (forfan & hodiè adversarii nostri, in primis Pontificii) existimarunt, *Christianos* (quos in præsentem intelligo Lutheranos) omnis publicæ calamitatis causas & autores esse, adeoque tan- quam hostes humani generis tollendos, vid. Terrull. in A- polog. in verb. si Tiberis ascendit in mœnia, &c. & Luthe- rus *Kirchen-Postill/ Dominic. X. post Trin. Wenn Un- glück und Straff für der Thür ist/ so klaget und schrei- et die gottlose Welt / wäre das Evangelium nicht kommen / so wäre uns dieses nicht wiederfahren.* Suo autem gladio se jugulare hi videntur; calamitates quippe istorum æque nostratium orthodoxorum pulsant fores, licet vel nullus Christianus (Lutheranus) intra mœ- nia illorum habitet. Verbo ut rem eloquar, Deus justus in judicio suo est causa cataclysmorum efficiens remota: nemo enim putet, ex causis mere naturalibus, quibus vim suam haut quaquam denegamus, hos cataclysmos pendere, sed ex tremendi Numinis judicio hominibus immitti. Pro-



pinqua in genere morum, sunt corrupti filiorum hujus sæculi mores, quod quidem extra dubitationis aleam pono: in genere naturæ quænam sit, an laborantis naturæ obstetrices, virtus cœlestium & ignis subterraneus, ego hic decidere non audeo. Videantur scripta publicè extantia, & audeantur acroateria Physicorum.

§. 10.

Quantopere delirent illi, ne quid dicam us gravius, qui *fato* omnia sub sole quæcunque etiam fiunt' imputant, non est, quod prolixè hoc loco disputem. In illorum censu potissimum fuere Stoici, qui scelera etiam necessitate quadam inevitabili fieri crediderunt; verum hoc non solum ab Ecclesia, sed etiam Philosophorum doctrina planè alienum est. *Fatum aliquod Politicum datur utique, cujus doctrina civilis prudentie studiosis debet esse quam commendatissima, ut loquitur Dn. Conring. de ortu & mutat. regn. §. 43. Fatum enim agnoscere, sunt verba Excellentissimi Dn. Professoris Bosii, fato se submittere, Fato sua consilia accommodare omnino debent, quicumque ad clavum Reip. sedent; sed vero, sed Christiano, seu ut alii vocant, Theologico. Vid. ipsum laudatum Virum in Tiber. §. 48. Fatum autem politicum quid aliud est, quam connexio seu series causarum, mediorum & eventuum, quibus Imperia ac Resp. sepè præter omnem opinionem humanam, ac modo nobis impervio, nunc oriuntur, nunc mutantur, decrescunt, servantur, ac intereunt, à Deo præscita, ejusque providentia cælitus gubernata. Conf. Lipsius in monitis Polit. c. 5. Tale fatum omnino datur, & legi plura de hoc possunt apud scriptores politicarum rerum passim. An autem fatalis annus is dicendus sit, in quo cataclysmus evenit, daß dieses darzu ein versehenes Jahr sey / wenn dergleichen Wasserfluthen sich ereignen/ non ineptè quæritur. Rem utpote altioris indaginis relinquo decidendam politicis ingeniiis. Quicquid sit, hoc certum est, Deum, si inundationes obtingant, istas huic vel isti loco, regioni, aut*



aut provinciæ, si meruerint, aliis in exemplum, immittendas secum constituere, adeoque & fato præscribere posse. Valeant & isti, qui frivola opinione ducti, olim & vera Dei cognitione destituti, radiantia *sidera Deos* esse asseriebant, adeoque ab his mutationes rerum publ. harumq; præcedentes poenas, seu monitiones potius, quas inter hic aquarum inundationes numero) proficisci firmiter credebant.

§. II.

Causa materialis, qua Deus utitur, est undarum multitudo, ubi cataraetas cœli, ut supra diximus, aperit, id est, vim nubium in guttas resolutarum frangit, & uno impetu discutit, ut aquæ plenis gurgitibus in destinatum locum irruant. Non enim semper cum tonitru aut fulmine (de quo Juvenalis Poetarum more fabulatur in Satyr. 13. per Vulcanum in taberna Ætnæ montis nigra fieri, ubi tres istos fabriles servos, Bronten, Steropem atque Pyracmona graphice (falso tamen & pure fictio, ut dixi, Poetarum more) inducit, de quibus etiam videri potest Virgilius 8. lib. Æn.) inundationes obtingunt, quod nec in primo diluvio fuisse factum legimus, sed absque hoc evenire possunt. Et licet aliàs non de nihilo sit vulgi opinio, quæ periculum maxime abiisse putat, post pluviam, tempore quidem tonitru, tamen aliud latere posse sæpius apparet, ut infra cap. 2. hujus exercitii demonstratur, quando tonitru cum pluviis longiuscule durat, tunc periculum est, ne malum aliquod nobis immineat, aquæ crescant, quævis obvia ruant ac devastentur.

§. 12.

*Fluvius quidem unus* præ altero sæpe ejus est indolis, ut, licet modice pluat, citissime crescat, qualis est, v. g. Plissa patriam meam alluens, ut & Elyster (ceu perhibetur) prope Geram, Leutera Jenam permeans &c. aliàs etiam æstus maris, de quo Physici miris modis dissentiunt, cataclysmis accensendus esset, quod tamen hoc sensu, atque nos sumimus cataclysmum, vix asseruerim. Verum nisi Deus sit



(14.) (S)  
iratus, velitque locum aliquem punire, ejusmodi aug-  
menta fluminum, utpote citò iterum dilabentia, nos affli-  
gere adeo non possunt, quæ proinde etiam cataclysmorum  
nomine venire posse vix videntur.

§. 13.

*Causa formalis* cataclysmorum (horret calamus) est im-  
mensa aquarum congeries, & per hanc porro data miseran-  
da in aquis hominum & bestiarum suffocatio, ædificio-  
rum, agrorumque everfio; est deletio, excidium & ruina  
locorum à feritate undæ facta. In hac autem tristi admo-  
dum materia diu non immorabimur hoc in §. cum sequens  
caput cataclysmi formam, ut & objectum, plenius & ad  
nauseam loquetur.

§. 14.

Denique finalis est ex parte quidem DEI, justitiæ exe-  
cutio: scil. ubi aliis mollioribus viis Numen Opt. nihil in  
homine proficit, tandem justitiæ suæ isto rigore satisfacit,  
pro meritis immittendo pœnas: ex parte autem hominum  
proxima est admonitio de imminentibus malis  
pœnæ, remotius autem vitæ emendatio, &  
ad studium innocentiae excitatio.  
Discant justitiam moniti, & non temnere Divos.

CAPUT



## CAPUT II.

### SUMMARIA.

- A**ditus ad historiam Cataclysmi paratur, §. 1.  
 De urbe Vinaria quedam *ὡς ἐν παρόδῳ*, §. 2.  
 Mentio Scriptorum, qui hujus Cataclysmi historiam attigere, §. 3.  
 Tempus Cataclysmi designatur, item constellatio cœli, §. 4.  
 Antecedentia §. 5.  
 Ingredientia, & quidem Molis aqueæ accessus, §. 6.  
 Furor, §. 7.  
 Strages Hominum, jumentorum, ædium, suppellectilium, §. 8. 9.  
 10. 11.  
 Duratio, §. 12.  
 Loca affecta, Thuringia, Vinaria, pagi, §. 13.  
 Damni æstimatio, §. 14.  
 Consequentia referuntur, §. 15.  
 Quæ eodem anno evenere alia, Mortes Clarorum Virorum, &c.  
 §. 16.

§. I.

**A**tque nunc ipsam Cataclysmi Thuringiaci, sive, ut vulgus nostrum appellat, Diluvii Vinariensis expositionem aggredior, in qua quidem eo procedam ordine, ut quæ ipsum antegressa, præmittam; post miserandam ejus faciem inspiciam; tum denique quæ id insecuta fuere recenscam. Gravis est recordatio tanti mali; & videri poterat, Thuringiæ, quæ ex diuturno bello vix dum emerfit, *παθημάτων* istiusmodi commemoratione vulnera nondum obducta satis refricanda non esse. Sed juvat nihilominus exteris vires regionis amplissimæ, per tot mala etiam non plane exhaustas, posteris verò exemplum iræ Numinis, poenitentiaque argumentum ob oculos ponere. Nec desunt in exemplum, qui



(16.)  
qui Coeli istas (sic cum poeta loquar) injurias scriptis com-  
prehenderunt, seculorumque memoriae insinuarunt,  
quorum vestigia legere quid vetat? Sic Tacitus sub Tiberio  
notavit tonitrua, quae potiores Asiae urbes discutiendo  
everterunt. Sic Dion Cassius, tempore Trajani, Antiochiam  
demolientes tempestates graphicè descripsit. Et quid opus  
est, autores omnes nominare, qui de calamitatibus rerum-  
publ. unquam scripserunt? ad praesentem rem hoc parum  
faciet: praefati sumus abunde satis: quod nostri est muneris  
agamus porro.

§. 2.

Urbs Vinaria, quo anno condita sit, equidem certò  
dicere non possum, fortè nec alii: multa tamen saecula eam  
stetisse est admodum probabile, sicut longissima ante tem-  
pora Comites t. t. Orlamundanos ibi sedisse, nec non tem-  
pore Othonis I. Imperatoris, h. e. A. C. 936 *comitia & conven-  
tus publicos ibi habitos fuisse*, me aliquando legisse memini.  
Dicitur Graecè Oenagora, quasi Weinmarck /cujus laus ele-  
ganter adumbrata à per-Rev. atque Claris. Dn. M. Adriano  
Bejero, Archidiacon. hujus loci meritissimo, in peculiari  
tractatulo, pro re nata forsàn typis excudendo, prolixè le-  
gi meretur. Et sicut splendidissima illa civitas Electores,  
Principes, heroes, virosque eruditos atque satis celebres  
omni tempore protulit: ita è contrario horrenda notatu-  
que oppidò digna ibi contigere. Sic aliquando frumento  
in hac urbe pluisse perhibent, forsàn eo tempore, quo ali-  
quibus in locis Thuringiae frumento pluit, quod fuisse  
factum A. Chr. 825. refert Bínhart. lib. 1. Chron. Thur. p. 52. &  
Rivand. p. 84. Sic. an. 1555. d. 6. Jun. per tres dies aqua fossae  
circa arcem in sanguinem conversa stetit dicitur, item  
an. 1558. ut supra attulimus, etiam magna fuit ibi aquarum  
inundatio, non tamen talis quae mox describetur. Taceo  
non una vice grassantem illic pestilentiam, & alios casus  
huc non trahendos.

Jam



Jam supra vice plus simplici professus fui, ante me vix quemquam sub disputationis incudem hanc materiam revocasse, imo raros admodum inter Historicos esse, qui vel mentionem hujus Cataclysmi faciant. Atque in ista opinione confirmat me defectus scriptorum idoneorum. Vix enim unicus est, qui ex instituto rem transigere sinit ausus, nimir. B. Langius, SS. Theol. D. Concionator Aulicus Vinar. ejusque dioeceseos Inspector, in der Historischen Relation von der Weymarischen Sünd- und Wasserfluth/ quæ subnexa est duabus concionibus, quas inscribit Wetters-Predigten. Addatur M. Köchler. in oratione de causis cataclysmi Thuringiaci. M. Andreas Pulcius, Fac. Phil. Jen. Adjunctus in dissert. historico-didactica de diluvio Thuringiaco. *Sethus Calvisius* ad annum Christi clo lxx XIII. paucis, prout scil. instituti ferebat ratio, rem attingit, inquit: *Inundatio ex tepestatibus maxima die 29. Maji hoc anno accidit, quâ plurimi homines cum edibus perierunt, accesserunt grandines, & fulmina, quibus segetes perierunt. Accidit hæc calamitas præsertim in Thuringia: eandem etiam fortunam Bohemia, Saxoniam, Austria, Gallia & aliæ regiones senserunt.* Præter hunc oppidò pauci alii, sed concisius adhuc, rem prosecuti fuerunt.

Sed in rem veniam. Annus agebatur Mundi 5562. Aerae C. 1613. quem enumerat vox illa Symbolica: JUDICIUM. Ad Clavum Imperii *Sacro-Sancti* sedebat Div. MATTHIAS, cognomento *Liberalis* dictus, qui biennio antè Fratri RUDOLPHO successerat. Electoratus Saxonici insignia ferebat JOHANNES GEORGIUS I. Cognominatus *Felix*. Vid. Lungvvizii *Admiranda Saxonica* Lib. I. c. VI. Ducatui Vinariensi Leges dabat Gloriosæ Memoriae Princeps, DN. JOHANNES ERNESTUS, JUNIOR, Baliviæ Thuringiacæ Commendator, Universitatis proavitæ Rector duodecies, in quo utrum flagrantissimum pietatis studium, an invictum ani-



animi robur quis admirari potius debeat, sæculum ambi-  
git. Sed ut summas animas rarò diu indulgent terris Fa-  
ta: sic non adeo multis post annis tantum Saxonix Lumen  
Martis torrente absorptum & cum ingenti totius Christia-  
norum gentis luctu obiit in vico d. 4. Decemb. in supe-  
riori Hungaria ad S. Martini, A. C. 1626. sepultus Vina-  
riæ, A. C. 1627. 18. Jul. Sedem Pontificiam tum premebat  
*Clemens VIII. à quo Veneti, repetita lege de bonis immobilibus non  
legandis ac donandis sacri ordinis hominibus, ringentibus  
Jesuitis, querelamque Romæ instituentibus, excommunicantur.  
Quæ res origo fuit celebris decreti ejusd. reip. quo extra urbem ac  
ditionem Venetam Jesuitæ perpetuo exulare jubentur* Vid. Box-  
horn. Tab. Chronolog. Quod tamen decretum publica  
auctoritate sublatum & gangrænam Jesuiticam postlimi-  
niò restitutam hodie esse, quis ignorat? Equidem si mihi  
allubesceret, curiositatibus indulgere, aut principiis meteo-  
rologicis ex Astrologia desumptis fidendum foret, sane di-  
cerem, me habere, quod allegare possim pro causa, unde  
tanta in Thuringiam irruptio aquarum facta sit. *Etenim  
in Constitutione cœli verna sive Themate cœlesti ad tempus ingressus  
Solis in principium Arietis erecto deprehendimus, in signis aqueis ac  
humidis Saturnum cum Luna, Venerem item & Mercurium, ipso  
Sole tum in ultimo piscium puncto, quod cum primo Arietis coinci-  
dit, adhuc subsistente, ex medio Cœli culmine terras hæc radiis suis  
ad inundationem pronis ferire, ut de suo hæc mihi commodet  
Vir Ampliss. & Excell. Dn. Erhardus Weigelius, Mathemat.  
in illustri hac Salana P. P. Celebratissimus, alumnorum  
Ducalium Inspector Gravisimus, & h. t. Ampliss. Fac.  
Phil. Decanus admodum spectabilis, Dn. Patronus & Præ-  
ceptor meus jugi pietate & obsequio ætatem venerandus.  
Sed isthæc talia ad scopum, quem in præsentem teneo, non  
admodum videntur proficua: quare ipsorum curam aliis  
relinquendam puto.*

Illu-



Illuxerat dies Maji XXIX, qui istius hebdomadis cursu Saturno dicabatur. Et statim à prandio, circum circa prædictam urbem Vinariam in coelo undique atræ & nimbosæ nubes circumgyrabant se, adeò ut totus poli tractus, ad horizontem adimpleretur, & una moles nubium post alteram irrueret. Tempestates cernebantur diversæ atque immotæ primum, quasi exercitus aliquis aciem tentaturus. Post quartam pomeridianam audiebantur fragores absque ulla intermissione. Post quintam horrifonus in aere clangor, (quid tum animi incolis fuisse sentis?) percipiebatur, quem frequens tonitru propter metum grandinis fulminisque ictus non parum formidabilem reddebat. Quamvis enim Vinariæ, grando non adeò ingens damnum dederit, parcius quippe decidens; aliis tamen in locis quas-cunque fruges agrorum plane deperdidit: hujusmodi enim tempestas in quibusdam pagis ad horas quinque durans dissipare quid non valet? Alibi raræ & inusitatæ magnitudinis, alibi cuspidatim, in figura cochlearum alibi, alibi ut gallinarum ova formata grando decidit, ut quoq; pecudes & oves in cratibus tum commorantes nihilque tale metuentes interemerit; alibi tecta domorum scandulis o-perta confregit, fenestrasque plurimas misere foravit atque discussit. Ab hora 6. usque ad matutinam tertiam (horrendum dictu) tonitrua fuere, nimbique cum fulgure & ignibus mixti sturnatim in terram decidere, ut nemo non Deum ad iudicium adesse, finemque mundi instare crediderit. Adeò elementa, ignis, aer, aqua, terra, se permiscuere! Et cum aliàs tonitrua (ut putant) remittere solent quando nubes sunt resolutæ, imberque decidit, ut suprâ adduximus; hic plane nullus fuit finis, etsi ignis & imber accervatim continuò dilapsus fuerit, immixtaque grando ad aliquot horas duraverit. Equidem Deus O. M. viridia terræ nascentia lætamque campi segetem terrigenis ostenderat, è quibus tum temporis ob penuriam annonæ labo-



ranti Thuringiæ utique succurri potuisset: sed funditus periit, quicquid extitit in campo.

§. 6.

Sed distinctius de his agendum. Post horam modo dicti diei sextam pomeridianam, cum vis grandinum, nimborum & tonitru invaluisset, unoque fulminis ictu duæ jam domus prostratæ, & in fossam, quâ mœnia urbis ambiuntur; dejectæ essent, Ilmus, fluvius exiguæ molis, derepente intumescerebat supra quàm credi potest, inde ex proximis colliculis, item per vias atque declivia torrentes insolitæ magnitudinis advolvebantur. Procul verò omni dubio hæ undæ ex ruptione fecundæ nubis, quam in confinibus accidisse crediderim, proveniebat. Statim portæ urbis superiores, nim. Erfurtina & B. Virginis occupatæ, plateæ inundatæ, domus atque cellæ adimpletæ sunt, ut nemo neque pedes neque eques in publico agere, non vicinus vicino succurrere valeret. In his angustiis multi civium, alia non fruebantur luce, quàm quæ ex sibilantibus fulminum ictibus affulgebat, certi ultima subire. Protrahebatur scena feralis in noctis decimam, circa quam rabies undæ remittere non nihil & ad minora redire spatia videbatur, quamvis fulmina & fragores antiquum obtinerent. Simulac ista remissio animadverteret, gaudia & júbila inter cives excitabantur: multi in genua procidere & Jovæ Liberatori vota nuncupare, alii teneram sobolem in chorum agere, & *Te Deum Laudamus* &c. pleno ore incinere: vivere omnia, & in tuto navigare. Verum júbila intempestiva & gaudium minus diuturnum fuerat. Circa noctis quippe meridiem grandines recrudescabant, nimbi tanquam exercitus per quietem refectus, integris viribus ingruebant. Torrentes ex superiori parte in urbem incurrebant, ex inferiori Ilmus invadebat, ut cujus vires in tantum interea fuerant audæ, ut portam dictam *das Regelthor* sibi subjiceret, hæcque sublimior iret. In cujus rei memoriam adhuc hodiè post portam hanc lineæ nigricantes

tes



tes in nonnullarum domorum postibus conspiciuntur, indicantes sublimitatem, ad quam Ilmus excurrans tum adscenderit. Hæc mala prioribus multum graviora. Vinaria unda erat & Oceanus. Vinariam Vinariæ quasi visiles.

§. 7.

Sub his omnibus unum notatu in primis dignum occurrit. Nimirum insolentia & feritas undæ apparuit eam, quam contendere cum aliis ægrè valeas. Ipsa siquidem non solum in campo aperto instar furibundæ bestię grassata est, agrorum solum scindendo, hortorum delicias conterendo, sylvas & arbores frugiferas in plano nascentes eradicando, ingentia saxa loco movendo; sed etiam in locis habitatis, ubi ædium firmamenta se ei oppositura, ejusque immanem impetum cohibitura videbantur, desæviit in tantum, ut domus integras, satque magnas arriperet, quassaret, tolleret, secum raperet. Etiam muris claudi se ægrè ferebat: in cellis enim & conclavibus domorum sese motitabat, spumabat, fervebat, stridebat, planè ad modum vini recentis, cum hoc calet maximè. Jurasset ei vim animalem, propemodum mentem inesse, quã sentiret, quamnam objecta iræ Numinis essent, qui invadendi, de quibus vindicta sumenda. Irruebat, instabat, premebat, non cessura, nisi superasset. Ejus altitudo tanta erat, quandam terra post diluvium universale unquam vix viderat. Circa portam B. Virginis assurrexerat eò usque, ut imaginem B. Virginis in sublimi positam allueret, devenustaretque. Sumptu postmodum publico imago reparata, hisque inscripta rhythmis est:

**Diß Bild andeutet noch / wie vor /  
Unser lieben Frauen Thor.**

His evenientibus, quid supererat, nisi ut tota Vinaria subverteretur. Mors præsentissima omnibus. Vicini vici-

pe-  
odo  
nim-  
jam  
un-  
pen-  
imis  
olitæ  
bio  
ibus  
s su-  
in-  
ne-  
vici-  
alia  
um  
sce-  
re-  
tur,  
Si-  
ubi-  
Jo-  
n in  
ere:  
em-  
no-  
mbi  
bus  
in-  
in  
gel-  
rei  
an-  
tes



vicinis conjuges sibi invicem, parentes liberis valedice-  
bant, liberi parentes amplexabantur. Quantum strepi-  
tus undæ permittebat, audiebantur intereuntium nœniæ:  
Gute Nacht/ lieber Eheschack; tausend gute Nacht lie-  
ber Vater/ liebe Mutter/ behüte dich GOTT / liebes  
Kind; ich fahre nun dahin / im ewigen Leben wollen  
wir einander wieder sehen. &c. Alii auspiciabantur  
cantiunculas, quas in usum extremorum didicerant:  
GOTT der Vater wohn uns bey &c. Nun bitten  
wir den heiligen Geist &c. Mit Fried und Freud ich  
fahr dahin &c. & similes plures. In ipso autem ver-  
borum pronunciatu domus una & ipsi cum suis absorbe-  
bantur. Ut in paucis exemplis multorum calamitatem  
exhibeam, addo. Civis Vinariensis, cui nomen Nicolaus  
Ose, hujusque uxor, conspicientes domum suæ vicinæ,  
Reginæ Heckerin/ in medio alveo versari, hanc inclamant,  
oraret & DEO se commendaret: quibus ipsa respondit,  
agite, canamus: Nun bitten wir den heiligen Geist &c.  
illi assentiuntur. Dum prima vox, Nun / pronunciatu-  
r, ædes Osi cum ingenti fragore ruunt, absorbentur, nec re-  
bus nec personis emergentibus. Custos pecorum Mellin-  
gensium quatuor alebat filiolos, quorum tres statim in ac-  
cessu molis aqueæ suffocabantur. Quartus, natu mini-  
mus, cum aquas istum in modum augeri cerneret, matrem  
sciscitabatur: mea mater, an ne qui aquis submerguntur,  
etiam in coelos pertingunt? Cui illa: si fidem in Christum  
retinuerint, utique. Ad quæ puellus: Ei so will ich  
gerne ersauffen. Gute Nacht/ lieber Vater / Gute  
Nacht/ liebe Mutter. Ita verò submersus absorptusque  
fuit. Plura addere esset in proclivi. Sed properamus ad  
alia.

§. 8.

Interiit in ista strage numerus hominum certe am-  
plus, amplior varii generis pecorum, supellectilium ineffa-  
bilis,



bilis cum intra Vinariam, tum in orbis agro & confinibus. Hab eto Lector Benevole, brevem indicem: *Vinaria* submersæ domus XLIV. suffocati homines LXV. in prædio Ducali suburbano XX. equi, XXVII. vaccæ lactigeræ. VIII. vaccæ intactæ. XII. vituli ablaçati. VI. boves saginati. XV. Capellæ, XVII. diversi sexus & ætatis sues, CXX. anseribus, anatibus & gallinis non computatis.

§. 9. 10. 11.

*Vinaria* superiori, ut & Ehringsdorffii domus XXXIII. horrea XII. stabula XX. homines XXVII. CCXC. diversarum pecoris specierum individua. Præterea mœnia parochiæ solidissima perforata, ponsque ingentis firmitudinis dejectus. Loquitur rem hanc lapis, qui prope pontem reparatum in viatorum se ingerit oculos, Super. Vinar. his verbis:

Die schrecklich grosse Wasserfluth /  
 Welch war ein Straff und Gottes Ruth /  
 Hat im 1613ten Jahr /  
 Als der 29. Maji war /  
 Hintweg geföhrt an diesem Orth /  
 Ein steinern Brücken / und dann fort  
 Der Menschen viel auch Vieh' ersäufft /  
 So all der Ilmstrom mitgeschleifft.  
 Dieselb ganz neu ist wieder gebaut /  
 Von Holz zur Stell / wie man hier schaut /  
 Im Jahr 1615. auffgeföhrt /  
 Als Herkog Johann Ernst der Jünger re-  
 giert.

Joach. Kreich. P.

*Mellinge* LVIII. domus, XL. horrea, XCI. diversa stabula, XXIV. homines, DXXVI. pecora.

Mag-



*Magdale* IV. domus una cum stabulis & horreis.  
XVI. homines. XXXIX. pecora.

*Döbritschii* LXXV. oves grandine periere in cratibus.

In Parochia *Sünderstadiensi* mit den Filialen *Losnitz* und *Sölnitz* VII. domus. III. homines, XIII. pecora.

*Götternii* XIII. domus. XII. horrea. X. stabula. IX. homines, LI. pecora.

*Capellendorff* II. homines, III. pecora.

*Apolda* VIII. domus cum horreis & stabulis, XXIV. pecora.

In Parochia *Buttelstadiensi* IX. domus cum horreis & stabulis, XXVII. Im Filial *Weiden* III. domus, XXXV. pecora.

*Grossenbrenbachii* LXXX. domus, C. horrea, XXXIX. homines.

*Leibfeld*, VI. pecor. *Gutmanshausen* IV. pecora. V. domus.

*Volsbergii* XIII. domus, XXII. horrea, XIV. stabula, II. homines, CXVII. pecora.

*Klein Ruderstadii* XII. domus, IV. horrea, VII. stabula, VI. pecora.

*Städtii*, IV. domus, unus pons, XX. pecora.

*Krauthemii*, XIX. domus, cum stabulis, XVI. homines, XXXIX. pecora Im Filial *Hegendorff* / I. vacca, III. stabula, I. horreum.

*Marckvippachii* V. horrea, II. stabula I. molendinum perijt, V. pecora.

*Schwerstadt*, III. domus, X. pecora.

*Lehnstadii* XX. domus, XIX. stabula, III. homines, XI. pecora. 100 Stück Federviehe.

*Buffart*, I. pons. V. pecora.

*Hammerstadii* II. homines, XXVI. pecora.

*Tiefurti*, IX. domus, VII. homines, LII. pecora.

*Ulrichshalbi*, XLIII. domus & horrea, IV. homines, XI. pecora.



(25.) (50)  
*Fiedelbusa*, VII. domus, XI. horrea, I. homo, IX. pecora.

*Eberstadii* XXXVIII. domus, XXIII. homines, LXXXV. pecora.

*Grossen-Krumsdorfii* XXVI. domus, XVI. homines, CCCLXXVIII. pecora.

*Dennstädt* / I. molendinum, VI. pecora.

*Bercke*, XXII. domus, IV. pecora.

*Ammersbachii*, I. homo.

*Ober & Unter-Leitra* VI. domus, I. molendinum, IX. homines.

*Maue*, XV. domus, XX. homines.

Alia quamplurima, quæ unâ cum personis & domibus pessundata fuerunt, non recensemus. Quis enim enumeret?

§. 12.

Tonitrua ista, fulgura, grandines atque nimbi porro ab hora noctis 12. duravere ad tertiam usque, circa quam coelum albescere, diemque redeuntem promittere incipiebat. Quam desiderata hæc lux istius tractus incolis acciderit, Tu cogita. Ferebat certè multis occasionem se ex ruderibus destructarum ædium expediendi; aliis faciem loci, in quem abrepti fuerant, aperiebat; aliis detegebat fulcimenta, quibus nixi emergerent; aliis ripam commonstrabat: certè omnibus spem vitæ hucusque periclitantis salvandæ pariebat. Post ortum Solis, procellis sensim decrescentibus, ut quibus alimenta nimbi non amplius præberent, resedit impetus diluvii, & terra, initio quidem in locis editioribus, postmodum & in declivibus, demum autem ubivis eminuit & liberata est. Non possum, quin hîc adjiciam exempla nonnulla manifestissimæ providentiæ, ut quæ in ipso castigationis ictu viscera misericordiæ effundere gavisa est.

Toto isto tempore, quo procella sæviit, quamvis nullus propemodum urbis angulus non infestaretur, & aquæ illi per fossam, quæ arcem Ducalem cingit, illaberentur

D

in



in ipsius arcis humiliora conclavia: non tamen ex penetra-  
verunt in Cameram Archivi, in declivi quamvis sitam,  
neque quicquam istorum Sacrorum attingere.

In Xenodochio suburbano, quod S. Laurentio dica-  
tum, accidit, ut 4 homines, qui conclave in ferius infede-  
rant, ilicò suffocarentur; alii verò, numero XI. qui tenue-  
rant conclave superius, unà cum ipso conclavi in sublime  
tollerentur, per ligna per saxa portarentur, atque ad ædes  
dictas des alten Miesen/deponerentur. Has ipsi ingressi ser-  
vati sunt.

Civis cuiusdam, cui nomen Nicolai Seyfarti, ædes  
sublatæ in altum, atque per jactum lapidis & amplius pro-  
latae fuerunt, usque dum in horto Johannis Wächteri re-  
clinarentur ad pyrum, cui trabes sese advolverant. Sub  
lucem deprehensum est, non solum ex supelletilibus nihil  
periisse, sed nec ollam nec vitrum loco suo dejectum, plera-  
que insuper arida stetisse.

Vixit tum Civis, nomine Hieronymus Mosa, artem  
victoriam faciens in aula Vinariensi. Hujus ædes jam an-  
te molis aquæ accessum fulminibus tactæ, prostratae, & in  
fossam arci propinquam præcipitatae fuerant. Ipse pater-  
familias, tum febris laborans graviter, in fossam dejecitur,  
mergitur. Sed apprehenderat ille quicquam ex rude-  
ribus domus suæ, hocque ipsum tenuerat firmiter; quare  
una cum ipso rursus emergebat. Hic cernit suam uxorem,  
filiolum, consobrinum & ancillam, sibi quasi in occursum  
labi. Ancilla parietibus suppressa in ipsorum oculis fun-  
gitur. Filiolus & ipse capite ac pedibus implicatur. Sed  
eruitur tamen. Paterfam. acutis undique ex ruderibus  
confossus iactibus, largo manat sanguine. Ædibus suæ vicinæ  
propior factus unà cum uxore, puelloq; introit, inventis  
linteis crasso filo contextis, quibus frumenta diluta impo-  
sita fuerant, se suamque tegit, delitescitque usque dum al-  
terum diluvium, id scilicet omnium nocentissimum, irru-  
eret. En denuò aquæ invalescentis vis ipsumprehendit,  
cum-



cumque uxore ac filiolo in camera, in qua sederat, circumgyrat, ferme ad modum anatum natitabant. Denique Mosa, ægro quamvis & vulnerato, vertice perforavit conclave superius, inque id ascendit, filiolum, quem mater linteo involutum ex collo hætenus suspenderat, extrahit, matremque ipsam capillis prehensam (ipsa enim hoc consilium suppeditaverat) ad se attrahit. Sed neque hinc vitæ ipsorum, huiusque securitati satis prospectum videbatur: etenim unda ipsos, ut fugitivos, etiam eò persequabatur. Quare Mosa, inventâ forte fortuna clava quapiam, parietem domus proximæ perfregit, perque foramina in eam unâ cum filio & uxore irrepit. Hic invenit cubile cum omni apparatu, in id se abjicit, & statuit fugæ non amplius indulgere, *sed ibidem aut servari aut mori.* Atque DEI ope servatus est cum suis. Filius, cui nomen Martinus, postmodum bonis literis consecratus, gradu Magisterii anno 1634. in inclyta hac Salana ornatus, sacris muneribus diversis in locis præfectus, inque patria demum Archidiaconus factus, multis annis fidelem Ecclesiæ Christi navavit operam. Vita functus est sub finem anni proximè superioris. 1669.

Incola pagi, quem dicunt superiorem Vinariam, dum domi suæ agit, una cum domo abripitur, perque spatium, quod emetiretur jactus globuli è bōbarda, deportatus, tandem in medium Ilmi deponitur, ibique tutam invenit mansionem, altero die inde extractus salvus ac incolumis, cum per omnem potentiam videretur fieri non posse, ut spes affulgeret, servatum iri homines.

Alius, cui nomen Philippi Voigt, cum domum suam subverti cerneret, apprehendit spondam cubilis, in qua cum uxore, sobole ac ancilla consedit, sponda pro navi usus. Statim aquæ spondam impetu ingenti arripuerunt & abripuerunt. Voigtius non satis caute agens ex sponda prolabitur in undas, aquis ad tempus supernatat, & denique propellitur ad rudera stabuli collapsi, quæ portæ dictæ das Str-



renthor/ erant propinqua, his innititur, animam Creatori suo commendans, & fata sua exspectans. Interea temporis uxor cum sobole atque ancilla intra spondam cubilis sui vecta eidem portæ cum ejulatione & clamoribus continuis appropinquat. in eo jam erat, ut sponda per portam eijceretur, & furori procellarum in alto traderetur. Hic præsentissimæ mortis facies sese offerebat. Ast inexputabili divina bonitate factum est momentò, ut trabium una & altera spondæ anteverteret, portæ se obvolveret & transitum prohiberet. Sponda ergò rejecta ad istud latus ac stabulum, in cujus ruderibus maritus hærebat, qui uxore & sobole, ancilla item ad se pertractis evasit unà cum ipsis.

Lehnstadii, in domo quapiam oppidò humili, omniumque minime munita, procellis autem quam proxima, confluerant homines diversi sexus, diversæque ætatis, numero XXVII. Hi cum aquarum vim singulis momentis augeri cernerent, ex conclavi inferiori se receperunt in id, quod omnium erat supremum. Ibi itidem ab aquis deprehensi sunt, quin procellæ summa tecti dejecerunt. Nihil ergo certius rati, quam illicò sibi intereundum esse, in mutuos ruebant amplexus, necessarii necessariis, parentes liberis, conjuges conjugibus ultimum Vale dicentibus. Uno ore incipiunt canere: *Mit Fried und Freud ich fahr dahin ꝛ.* Ecce autem, eo ipso momento aquæ steterunt, sensim decreverunt, omnes isti servati sunt.

Ad manum sunt exempla longè plura, quæ utique in medium nunc proferre valerem, nisi jam tum adducta abundè fidem facerent ei, quod paulo ante asserui, scil. Numen Opt. Max. in ipso gravissimi hujus excidii icu infinitæ suæ misericordiæ non dememinisse, sed ejus documenta sane, luculenta dedisse. E quibus & hoc esse censendum est, quod multi eorum, qui in procellis egerant, & cum ultimis luctati fuerant, postmodum ultrò sint facti, se sensisse in mediis aquis, quod moles suorum corporum, tanquam manu supposita, sublevata in superficie aquarum sustentata sit.

Ex



Ex iis, quæ hætenus exposita fuerunt, obscurum amplius non est, ecquænam loca effreni isto aquarum furore fuerint tacta, scil. nobilissima regio Thuringia, quæ suo jam sinu me fovet, cujusque aliqualem mentionem feci supra. Quamvis enim undæ se postmodum etiam in aliarum regionum faciem effuderint, ibi tamen æquè non sævierunt. Thuringiæ igitur præcipuam noxam intulerunt, hanc devastarunt, hujus incolas suffocarunt, domus ac suppellectilia fregerunt, destruxeruntque. Ex omni autem Thuringia una sola Vinaria cum agro circumjacente imprimis est vexata, id quod ex indice stragis superioribus paragraphis descriptæ apparet. Hinc probabile judicatur, fractionem nubis foecundæ, ex qua tanta aquarum vis provenerat, non procul à Vinaria, circa montana, accidisse, indeque primo impetu in urbem irruisse.

Damni, quod per diluvium istud regioni & imprimis urbi Vinariæ datum est, æstimationem facere, quis est tam temerarius, qui ausit? Nemo vel exactissimorum Politicorum hanc spartam sibi hætenus sumsit. Reperti verò sunt, qui judicarunt, ipsam foecunditatem soli tantopere exhaustum fuisse, ut sæculi cursu ne restitui quidem posset. Quod vero iudicium, Dei gratiâ, fefellit. Floret quippe hodiè, & jam ante plures annos effloruit Thuringia, pinguescit solum Vinariense, restitutus ager est. DEUS hunc ei florem servet.

Quid tandem insecutum sit hunc Cataclysmum, id, sed breviter, puto subnectendum esse. Altero die, qui mensis Maji 30. sed in ordine septimanæ Dominicus erat, undæ nonnihil subsidebant, paulatimque dilabebantur: Vidisses omnem Vinariam colligere rudera, numerare funera, fletu & singultibus mali exantlati emetiri magnitudinem; deplorabant conjuges ablatam thori partem, parentes



tes recitabant ultima perituræ sobolis verba, liberi orbitatem suam, domestici solitudinem accusabant. Verè luctuosa Vinariæ erat facies. Nec minus in agro circumjecto planctus & gemitus exaudiebantur. Quis enim est, qui hæc legendo vel audiendo temperet à lacrymis! Tantum abest, ut siccis oculis eadem perferre quis valuerit. Serenissimus tum temporis imperans Princeps, item prudentissimus Senatus Oppidanus prorsus nihil fecit reliqui eorum, quæ ad munus probi patris Patriæ videntur spectare. Jussu publico inquisitum fuit in nomina personarum, quæ desiderarentur, rudera subruatarum ædium fuere submota & perquisita, quò, si fieri posset, cadavera eruerentur. Missi sunt, qui in publicis viis, in declivibus viarum, in arbuftis, quaqua versum iri poterat, inquirerent, num periclitantes de vita alicubi hærent, ut istis succurreretur. Glorioræ memoriæ Princeps civibus ut & ruricolis ex summa munificentia ligna cædua est largitus, quibus unus novas instrueret ædes, alter diffractas & laceratas repararet. Porrò illis, quos malum præ ceteris presserat, pensio tributorum annua ad tempus definitum fuit remissa. Denique, ne unquam tantarum cladum intercideret memoria, jussu Eiusdem Serenissimi institutæ sunt conciones anniversariæ, quæ ad nostrum hoc tempus usque perdurant. Scilicet quotannis die 29. Maji habetur concio pœnitentialis publica, qua diluvii nostri recolitur memoria, & coetus mala istiusmodi deprecatur. Vulgus istas conciones appellat die Wasfer-Predigten/ magna que cum attentione iis interest. Habita & hic Jenæ fuit eo anno concio hujusmodi à pl. rev. atque Excell: Dn. Joh. Majore, SS. Theol. D. Prof. P. & Superintend. b. m.

§. 16.

Ceterum is ipse annus etiam aliis eventibus clarus est. Evenit quippe eodem in Westphalia, Osnabruggæ, ut furor sævientis Vulcani longè lateque omnia depopularetur: scilicet splendidissimas basilicas, superba palatia, instructissimas

mas



mas domus una cum deliciis varii generis, pretio inestimabili valentibus, absumeret. Thuringia quidem cum sua Vinaria in Insulam, sed Westphalia cum sua Osnabrugga in cinerem versa est. Illo ipso anno Ratisponæ in Comitibus publicis Status Protestantes, se in exercitio Religionis concessio, turbari graviter ad Imperatorem querebantur. Sub idem tempus, Sigismundus Bathori, Dux Transylvaniæ, obiit diem Pragæ, ibique nactus sepulturam fuit. Gloriosæ recordationis Princeps, Henricus Julius, Dux Brunsvicensis, itidem Pragæ moritur. Sic & gloriosus Princeps Ernestus, Marchio Brandenburgicus, Johannis Sigismundi Electoris Frater, ultimum diem Berolini fecit. Idem annus emortualis fuit Quirino Reutero, Theologo, vid. Simon. Stenium in orat. funeb. item Jodoco Lucio, Medico præstantissimo, videantur Melchioris Adami vita Germanor. Medicorum p. m. 419. item Rudolpho Schnellio, Viro in omni Philolophia versatissimo, vid. eund. in vitis Germanor. Philosophor. p. m. 507. Sed satis quidem de iis, quæ Diluvium Vinariense antecesserunt, ingressa & consecuta fuerunt.

### CAPUT III.

#### SUMMARIA.

**P**OLITICUS Medico similis, §. 1.

Ejus officium in prodigiorum, quale Cataclysmus, accessu, §. 2.

In prodigiorum duratione, §. 3.

In prodigiorum recessu, §. 4.

Subjectissimum pro salute inclytæ Domus Saxo-Vinariensis, Verum, §. 5.

Conclusio, §. 6.

§. 1.

**Q**ui Politicum a'vdēl 'iatēō similitimum esse dicunt, atque id propter Medicum animorum salutant, it à veritate nil quicquam alienum committunt. Sunt quip-



quippe capita numero plura in quibus Viro politico exactè  
 convenit cum Medico, quæ citra ullum laborem recense-  
 remus, nisi thematis nostri terminus nobis ante oculos  
 versaretur. Medicus, ut unum hoc de officio addamus,  
 & præservat, & liberat à morbis: Politicus civitatem à cala-  
 mitatibus non minus præservat, quam liberat, quin præci-  
 puum ejus munus, & laus prima in eo consistit, si mala ei-  
 vitati imminencia prævidere, prævita avertere valeat. Me-  
 dicus etiam in illis morbis, qui τὸ θεῖόν τι habent, manum  
 ægro non subducit, sed cum avertere non possit malum id  
 saltim agit, ut toleratu fiat facilius: Politicus in malis, quæ  
 supra hominem sunt, ut loquitur *Philos. 3. Ethic. Nicom.* Ci-  
 vitati non deest, sed cum hæc sua natura ita comparata  
 sint, ut aliquando prævideri, unquam vero averti neque-  
 ant, is id operam navat, ut civitas ne funditus perdatur, sed,  
 quamvis benequassata, superet tamen ac emergat. Ve-  
 rum res hæc intellectu facilis est, & ab aliis alibi per mem-  
 bra comparationis oppidò multa diducta ac penitus ex-  
 cussa.

§. 2.

Exercet politicus manum Medicam in civitate cum  
 aliàs, tum verò & imprimis, ubi prodigiosi eventus ingru-  
 unt, scilicet cum Cataclysmi sæviunt, cum Vulcans furit,  
 cum fulmina undiquaque grassantur. Nobis nunc de Cata-  
 clysmo sermo est. Hunc quia prævidere etiam perspicacissi-  
 mi politicorum vix queunt, certum est, nec ipsos cum  
 avertere valere. Quod si tamen aliqua regio, urbs aliqua,  
 Cataclysmo familiariter urgeatur, munus politici exiget,  
 ut superficiem soli ita attemperet, quò potissimus aquarum  
 impetus per declivia ab arte data, tanquam per viam aliam,  
 abducatur. Hac fini fossas conficiat, munimenta mœnibus  
 addat. Adjutus disciplinarum nobilissima, quam dicimus  
 ingeniariam. Ast ubi Cataclysmus infrequens est, in ejus  
 accessu politicum decet animum in omnes eventus præpa-  
 ratum ostendere, cives, si locus sit, monere; nisi locus  
 mo-



monendi, quantumcunque potest, juvare. Consilia ex arena sæpè hic optima. Maximè prospiciendum est Bibliothecis publicis, Archivis, Basilicis, &c. si qua ope his succurri possit, efficique, ne unda eò pertingat. Inde ex Schola superstitionis, Papatu, ad nos traducta est opinio, ubi Evangelium S. Johannis superstitione contra vim tonitruum de collo suspenditur, perhibeturque, tempestates, item Cataclysmos averti posse disposure tormentorum, & pulsu grandiorum campanarum. Quæsi veris, annon è munere politici sit, adhæc confugere media? nos dicimus, equidem per sonum campanarum, murmurque tormentorum aërem contremiscere, non nihil rarefieri, nubes solvi, & tempestates emolliri posse. Ast verò eam in campanis atque tormentis vim, quam gens Pontificia credit, nos non agnoscimus. Gens Pontificia campanas & tormenta sacri baptismatis fonte abluit, hos ipsos in usus, à quo sacramenti longe sublimissimi abusu nos nostrates dehortantur Doctores, quos jure lequimur meritoq;. Von dem abergläubischē Wetter-leuthen integra extat constitutio Electoralis Sax: de an. 1573. articulo 39 hæc nimirum: *Sonderlich aber soll das Abergläubisch und Abgöttische Wetterläuten/ (der Ursach die Glocken im Papstthum/ mit lästerlichem Mißbrauche der Stiftung Christi gestauft werden/ daß sie die Krafft haben sollen/ den Hagel und schädliche Wetter abzuwenden) wo es noch im Brauch/ abgeschaffet und nicht gestattet / dargegen aber das Volck zur Buß und Christlichem eiferigen Gebethe vermahnet werden/ dardurch der Zorn Gottes gestillet und solche Plagen abgewendet werden mögen.* Aliàs de campanis hi circumferuntur versiculi.

*Funera plango; fulgura frango; sabbata pango.*

*Excito lentos; dissipio ventos; paco cruentos.*

quos obiter saltem adduco.

E

Post.



§.3. Postquam rigor prodigiorum invaluit, nostraque civitas in angustiis suis desudat, certum est, à Viro politico exigi, ut & tum suorum gerat curam. Quid autem ipsi imprimis faciendum, præceptis definiri vix potest. Variant circumstantiæ prodigiorum, in specie Cataclysmorum, in tantum, ut ne duo quidem allegari possint exempla Cataclysmorum, quæ præcipuas circumstantias habuissent easdem. Hinc iterum ad prudentiam politici extemporaneam, hujusque judicium subactum est confugiendum. Historiam si consulas, deprehendes, nonnullos politico- rum in medio æstu calamitatis manus ad astra tulisse, Numen vocasse in auxilium, atque sic malum declinasse. Alii invenerunt media civilia, effregerunt muros, undisque exitum pararunt; alii dejecerunt domos paucas, ut plerasque servarent. Reperti etiam sunt, qui ad illicita delaberentur: scilicet cum flectere nequirent Superos, studuerunt movere Acheronta, incantamentis & carminibus iram Numinis pellere conati. Hos postremos, quamvis nolimus negare, apparenter malum mitigasse, & inducias impetrasse, Deo ipsorum incredulitatem permittendo labi in sensum reprobum; id tamen negari nec potest, nec debet, verè hos non consuluisse suis, sed aliquando turpiter confusos fuisse, aliquando gravio- rem civitati reatum attraxisse.

§.4. Evafit jam civitas, liberata urbs est: quid muneris ergò redit in politicum; scilicet prima cura esto operum necessitatis. Eruantur ex ruderibus corpora civium prolap- sorum, inquiraturque, num ullibi locorum supersit, qui cum periculo colluctetur. Politicus Pater Patriæ est, sed Patris prospicere vitæ sobolis, amplexari cadaver extincti filii. Hinc ad terminos regionis, portasque urbis adque mu- ros armatus stet, qui caveat, ne hostis incurrat, antequam vulnera nostra colligata sint. Porro catur ad altaria, Nu- menque offensum devoto cultu civitati reconcilietur. Ul- terius si ex Archivis unum vel aliud à Vulcano aut Neptu- no absumtum sit, id, quam fieri potest, accuratissimè dis-  
simu



simuletur, ne scil. pars adversa nos hinc urgeat. Imò civibus ex publico ad vestitum, victum, reparationem ædium, &c. fiant erogationes. Incredibile est, quantum hæc magnificentia Statui proffit. Nullum est vinculum, quod subditos arctius præsentis statui obstringat, atque subsidium in istu necessitatis casu præstitum. Cumque hujus generis calamitates & prodigia nunquam non sint prænuncia futuræ majoris calamitatis, quemadmodum constat, Diluvio Vinariensi successisse torrentem diuturni & cruenti illius belli Germanici; ideo Politicus futurum prospiciat, omen accipiat, se aut depellendæ, aut ferendæ calamitati pareat. Denique calamitatis publicæ erigatur in memosynon, idque vel in animo civium, vel in loco aperto & edito. In animo civium, ut si conciones anniversariæ instituantur, ) *Wasser-oder Feuer-Predigten* / quod Vinariæ factum fuisse supra scripsi; vel festa solennia in memoriam servatæ urbis, cujusmodi est illud festum scholasticum Numburgensium, dictum *das Kirschfest* / ceras maturescantibus, quod ibid. instituitur. &c. In loco vero publico & edito, si monitoria, v. g. porticus, columnas, cruces &c. erigat. Hæc ego de officio Politici circa eventus prodigiosos, tanquam in idea quadam exhibeo. Quod si cui allubescat, ea ipsa in exemplo consummato intueri, is mihi inspiciat acta Serenissimæ Aulæ, prudentissimique Senatus Vinariensis, de quibus exigua nonnulla capituli superioris §. penult. attuli.

§. 5.

Ego hîc ad vota divertor subjectissima:  
DEUS, bonitate Optime, potestate Maxime, Tuam infinitam Majestatem modis quas mens concipere potest, & lingua profari, exquisitissimis celebros, quod Serenissimam Domum Saxo-Vinariensem, illam puræ religionis nutriculam, artium receptaculum, justitiæ officinam, atque in eadem Serenissimos Celsissimosque Principes ac Duces, Dominum JOHANNEM ERNESTUM, DN. JOHANNEM



NEM GEORGIUM, DN. BERNHARDUM, Fratres Germanos; Duces Saxoniae, Juliaci, Cliviae ac Montium, Landgrafios Thuringiae, Marchiones Misniae, Principali dignitate Comites Hennebergiae, Comites Marcae & Ravensburgi, Dynastas Ravensteinii &c. Veritatis Evangelicae Adsertores gloriosissimos; Reip. literariae ac Musarum Atlantes indulgentissimos, Principes meos clementissimos, Nutritores longe munificentissimos, haecenus ab omni malignantis sortis ictu salvos praestiteris atque incolumes. Serva, Domine, Unctos Tuos & imposterum, imple cordis Ipsorum desideria, indulge consiliis Eorundem successus. Averte mala quae vis, affunde bona omnia, Vigeat RUTA SAXONICA usque ad finem saeculi. Nunquam desit ex ipsis, qui sedeat in throno Patris sui coram Te. Vivant! Floreant! fructus ferant!

§. 6.

Hæc sunt dicta in praesentiarum. Dicat forte aliquis: amphora coepit institui currente rota, cur urcens exit? is responsum velim sibi habeat notum illud proverbium: efficimus pro opibus nostris moenia. Amplius ac elegantius, tersius atque accuratius disputaturo ἀκριβέστερον sincerè gratulabor, nequaquam invidebo. Occasione lectionis responsi cujusdam, quod mens. sept. an. 1613. quo cataclysmus noster contigit, in collegio Juridico hujus Academiae datum fuit, & à Dn. D. Richtero, Ordinar. b. m. in tract. de success. ab intest. sect. 2. n. 5. proœm. affertur, animum induxi, *De alluvione, vi fluminis, de insula, alveo, & inundatione*, materiis utilissimis, quæ §. 20. 21. 22. 23. & 24. Inst. de rer. div. nec non Dig. & Cod. continentur, cum DEO & die, etiam vires periclitari, adeoque propositam hanc Historiam juridice exhibere disputandam. Hac vice abrumpendum!

DEO SIT LAUS ET GLORIA.

CO-







# COROLLARIA,

*pro uberiori exercitio adjecta.*

I.

Non semper, qui tacet, consentire videtur.

II.

Conscientia erronea obligat.

III.

Impossibile etiam est obligatio.

IV.

Etiam cum *Sua* adulterium quis committere potest.

V.

Non semper videndum quid dicatur, sed & interdum, quis dicat.

VI.

Potest Titius strenue mentiri, & nihilominus verum dicere.

VII.

Consultatio non principium, sed conditio actus moralis est.

VIII.

Principia practica omnium prima sunt: Bonum fac;  
Malum non fac.

---

## ERRATA:

Pag. 7. §. 2. l. 5. leg. *curtam*. pag. 11. §. 9. l. 12. post *voc. aequè*,  
adde *ac.* pag. 17. §. 3. l. 16. leg. *tempestatibus*. pag. 29. §. 14. l. 6.  
*leg. exhaustam.*



(36.)  
**I**mpete terribili se præcipitabat ab axe  
*Cœlesti prægrandis aquæ vis, prorlus inundans*  
*Urbem Vinariam, varios pagosque. Stupendam*  
*Hanc rem proponis doctè præstantibus ausis.*

*Per-Eximio Dn. CELIO J. U. Cultori solertissimo*  
*amicâ m. & m. gratulatur*

**JOHANN VOLK, Bechman D.**  
Antecessor, designatus Academiæ Rector,  
& h. t. Collegi Juridici Decanus.

---

**C E L I O,**  
POLITISSIMO HUIUS DISPUTATIONIS AUTHORI,  
Sacræque Themidos Cultori egregio,  
Amico meo honorando, & officiorum promptitudine  
multis hætenus modis de me bene merito,  
*Affectum suum hisce declarare, insimulque studiorum successus*  
*felices exoptare voluit*

**PETRUS PANCRATIUS Krauß / J. U. D.**  
Curix Provinc. Saxon. Jen. Advoc. Ordin.

**T***Andem edis specimen, Doctorum pulpita scandens,*  
*asiduus versas qui monumenta Sophum.*  
*Pergere perge viam hanc alacris. Sicitur ad astra!*  
*Infractum studium premia digna manent.*

---

**U****T** Thuringiacas Terras numerosa fluentia;  
Sic Te Parnassi multa rigavit aqua.

*Gratulab. deprop.*

**ERHARDUS WEIGELIUS, Mathem.**  
P. P. Alumn. Inspector, h. t. Facult. Philos.  
Decanus.

**VIRO.**



(37.) (50)  
VIRO-JUVENI

*& eruditione, & moribus, & pietate oppido conspicuo,*

DN. GEORGIO HEINRICO  
CELIO,

Politic. & Jurium Studio assiduo,  
SERENISS. SAXO-VINARIENSIVM DUCVM,  
DOMINORVM MEORVM CLEMENTISSIMORVM,  
Optimæ frugi Alumno,

cum  
primitias laborum Academicorum,  
DILUVII THURINGIACI DELINEATIONEM,  
suo opte Marte elaboratam  
ederet,

*Numen Præsens, Gratiæque Munificentissimorum Nutri-  
torum integram, perpetuam,  
cum amica gratulatione  
precab.*

**C**œlum Te, Celi genuit. Cœlo Tua Cura  
Sunt. Cœlo fidas, Cœlicus & fueris.

*Imque f.*

GEORGIUS GOEZIUS,  
Moral. Prof. Publ.

---

DILECTISSIMO GENERO SUO,

D N.

GEOR. G. HEINRICO CELIO,

hodie N. P. C. & Acad. Jenens. Registratori dignissimo,  
cum Cataclysmum suum Thuringiacum limatius  
denuo ederet,

*to èu!*

BERNHARDUS Müller/Rhodæ  
Pastor & Adjunctus.

**Q**uem descripsisti cataclysmus, monstrat abunde  
Pressuram duram, quæ celeranter erat!

Fa.



(38.)

Faxit Jova potens, nunquam vexetur ab astris  
Terra; malum nunquam pestifere remeet!

---

*Pereximio, Prestantissimo atque Doctrina & Pietate ornatisimo  
Viro - Juveni,*

DN. GEORGIO HEINRICO CELIO,  
Philosoph. & Juris utriusque Studiofo indefesso,  
amico nostro honoratissimo,

S. D.

Commensales.

**I**nnumeris, amice & consaline suavissime, iisque varii generis  
malis agitatam semper & vexatam fuisse Thuringiam nostram,  
testantur Annales, loquitur experientia, adeo ut novercantis  
naturae furorem, tractis in auxilium fere omnibus suis copiis, (ele-  
menta putamus) suas contra eam vires experiri voluisse videatur.  
Nam, ut volubilis fortune ludibria taceamus, modo nobilissima ejus  
membra tantum non penitus hinc inde cineribus contumulata amis-  
sam pulchritudinem, perditas opes, egerrimè olim reparandas de-  
plorant. Modo calamitates spem agricolarum decollasse, grandini-  
bus luxuriantem obruentibus segetem effecerunt. Modo Martis tor-  
va facies adoptivis adjuta oculis, proh! cogitando horrescimus,  
tuum, ò dulcissima Thuringia, inspexit, dicamus, an penetravit cen-  
trum, inde sophismatum, nescimus quorum, emittuntur radii, peri-  
pheriam praetensionum circulo amplificaturi. Modo pestiferam gras-  
sari luem, & aliquot hominum centurias ad plures missas vidimus,  
audivimus, aere suam salubritatem denegante. Modo Neptunus soli-  
tam periclitaturus violentiam impetu horribili reclusis caeli catar-  
ractis ingentem aquarum molem suppeditantibus nostram adortus  
est Thuringiam. Id quod uberius chartâ tuâ, Amice honorande,  
demonstras doctissimâ. De quo labore feliciter exantlato lubentissimi  
tibi gratulamur, insimulque felicissimos studiorum tuorum successus,  
patronos pariter atque promotores precamur munificentissimos. Va-  
le. Jene, d. 12. Jan. Anno reparatae salutis, M, DC. LXX.

F I N I S!







CAT  
TH  
die  
Amplis  
D N. G  
WICHMARI  
HAC ALM  
PATRON  
IN AUD  
PH  
GEORGE  
Crimmic  
Rec

MUS  
S,  
Sünd  
cultu,  
EZII,  
RACT. IN  
CILON.  
I PER.  
ORUM  
ELIUS,  
nar.

